



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 6. in persecutores viduarum, & malè moratas viduas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non queret, non est Deus in conspectu ejus: ecce ectypon adulatoris. non est Deus in conspectu ejus. atheus est, quia vindicem scelerum non agnoscit, dum scelera approbat in laudato. hinc illa divinæ iræ multitudo, ut non quærat Deus correctionis medium, sed correptionis flagellum. exacerbavit Dominum adulator, quoniam laudatur peccator in desiderii animæ suæ.

§. 7.  
Adulatores cavendi.

Execremur proinde omnes assentatores, eosque cane pejus & angue fugiamus. *Cavendum præsertim*, ait D. Synesius l. de regno, *idque totis animi viribus, nè in cautis obrepat adulatio, sola quippe hæc imperium animæ deprædatur.* dæmonem audire te puta, cum laudem adulantium audis, nam ut ad Blancam comitissam scribit Petrus Damianus: *sæpe malignus Spiritus velut avis in ramo arboris, sic in lingua ponitur adulantis. tu autem obtura aures malè sradentibus Sirenibus & Scyllæ voraginis prudenter evade, naufragium: Sicque cor tuum in*

Sancto proposito terror judicij figat, ut nequaquam ventus assentatorii favoris hinc evellat, nescio, qui salutem & vitam sperare possit, qui adulatorum familiaritate delectatur. *teterrima pestis urbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo, adolescentibus exitium, domibus ruina, monasteriis eversio, christianæ religioni extrema calamitas, omniumque malorum seminarium & origo.* ita Philo Carpathius in cantica apud Baëzam to m. §. l. 16. c. 123. p. 26. fuge adulatorum linguam, ut effugias gladium doloris, eam enim si omni consilio industriæque paveris ac caveris, tuam ipsius animam doloris gladius non pertransibit.



## PHILIPPICA VI.

Inpersecutores viduarum, & malè moratas Viduas.

### DOMINICA EADEM

*Et hæc vidua non discedebat de templo.* Luc. 2. v. 38.

§. 1.  
Singularem affectu in Viduas fertur Deus.



Observavi in toto facrarum paginarum contextu nullam omnino viduam probro aliquo notari; quoties verò viduæ alicujus occurrit mentio, ferè sem-

per exornari laudibus, vel ob singularem prudentiam, ut Thamar Gen. 38. vel ab eloquentia, ut Thecuiten 2. Reg. 14. vel ab hospitalitate, ut Sareptanam Eliæ hospitem 3. Reg. 17. vel à castimonia, ut Juditham c. 8, v. 4. vel à singulari pietate.

pietate, ut hodiernam octogenariam Luc. 2. v. 37. vel à munifica pietate, ut viduam pauperulam, quæ duo minuta mittendo in gazophylacium plus quam omnes misit. Luc. 21. v. 3. vel à luctûs modestia, ut viduam in Naim, cui lacrymas dulci biberbio piissimus IESUS absterfit: *Noli flere.* Nimirum non iudicem tantum viduarum sese Deus nominat. ps. 67. v. 6. verum etiam susceptorem, tutorem, benefactorem: *pupillum & viduam suscipiet.* ps. 145. v. 9. *firmos faciet terminos viduæ.* prov. 15. v. 25. *viduam ejus benedicens benedicam.* ps. 131. v. 15. *multiplicatae sunt mihi viduæ.* Jerem. 15. v. 8. *viduæ tuæ in me sperabunt.* Jerem. 49. v. 11. Benè sperent viduæ, si verè viduæ sunt; pessimè timeant omnes viduarum osiores, si verè ejusmodi sceleris rei sunt; causam & hujus timoris, & illius spei de præsentis dictione colligere licebit.

§. 2.  
Psalmus  
108. in per-  
secutores  
viduarum  
composi-  
tus vide-  
tur.

Inter gravissima mortalium scelerum in divinis literis numeratur contemptus & persecutio viduarum. hinc illæ nœniæ: *causam viduæ non judicaverunt.* Jerem. 5. v. 28. *viduæ non miserebuntur.* Baruch. 6. v. 37. *pupillum & viduam contristaverunt.* Ezech. 22. v. 7. nec nisi desperatissimorum nebulonum ea est resolutio: *non parcamus viduæ.* Sap. 2. v. 10. at non parcat vicissim illis vindex DEI oculus, cujus pupilla læditur, cum vidua læditur; de viduis namque ad literam dictum intelligo: *qui vos tangit, ò viduæ! ò pupillæ! tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. v. 8.

Contra viduarum hostes compositus præcipuè videtur imprecatorius ille psal. 108. in quo quidquid dirarum dici potest, in caput illius congeritur, qui persequitur hominem inopem (qualis vidua potissimum inops consilij auxiliique) & compunctam corde mortificat, addens afflictionem afflictæ. Qua-

re, ut talionem sentiat, rogat Zelotes iustitiæ: *fiant filij ejus orphani, & uxor ejus vidua nutantes transferantur filij ejus & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus.* v. 9. 10. 12. Hæc est justa lex talionis, quam sancit DEUS Ex. 22. v. 21. *viduæ & pupillo non noceritis. si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Timeat uxori suæ & prolibus, quicumque viduarum persecutor est, in viduitatis enim statum uxorem, atque ad egestatis baculum proles suas redigit, cum viduas impetit, patietur idem brevi uxor ejus ab aliis, quod nunc impiè in viduas molitur & audet! quin & ipse sibi viduomastix timeat; clamant enim contra illum, ut hæc quatuor quancycus eidem eveniant, quæ nominato psalmo v. 6. 7. 8. consignantur. *diabolus stet à dextris ejus,* quia omnia viduarum dicta & acta sinistrè interpretatus est; cum judicatur, exeat condemnatus, quia vix auditam pro judicio viduam condemnavit. *oratio ejus fiat in peccatū;* quia orationes viduæ audire noluit, sed maledictis eam proscidit & imprecationibus devovit; *fiant dies ejus pauci,* qui cor viduæ arrosit & vitam morte acerbiorum reddidit; *episcopatum ejus,* magistratum, & quodcunque officium accipiat alter, quia inofficiosus & barbarus in viduas fuit, pro quo quot diris sese implicat, quantasque Numinis iras in caput suum & suorum accersit, qui persequitur viduam, & mortificat compunctam.

At cur obsecro tanta ubique pœne gentium ac locorum rabies in viduas, & conjuratio, & persecutio? nimirum quia viduæ turtures  
E sunt

§. 3.  
Cur ubique gentium viduæ affligantur.

funt inermes, hinc tanti ad easdem deprædandas animi, & expediti unguis vulturibus. quia viduæ oviculæ sunt balantes, hinc dentiunt lupi & infanâ fame carnes earum sive substantiolam appetunt; quin, ut incarnata dixit Veritas, carnibus folis non contenti *de-vorant domos Viduarum.* Sunt viduæ prædatorum judicum, prout Alphonsum Arragonum Regem proverbio dicere accepimus; at verò pravi iudices prædatorum sunt dæmonum. Væ qui viduas prædatis, nonne & ipse prædaberis? sint licet inermes turtures, at suo se gemitu tuentur; sint licet imbelles oviculæ, at balatu suo curam Pastoris provocant, ut animam suam ponat pro ovibus suis, & virgâ suâ tanquam iudex, & baculo tanquam vindex in prædones lupos agat. audacter Pastori suo dicat vidua: *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*; his enim non contra me, sed pro me decertas, & discernis causam meam. Gemitus & balatus vester, innocentia & patientia vestra, vestræ lachrymæ & gemitus ò viduæ omnibus adversariorum vestrorum armis, fraudibus, molitionibus longè potentiores sunt, non modò iisdem retundendis & in gehennæ pavimentum deturbandis, sed cœlo ipsi expugnando invictasque inde exciendos suppetias. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt & exclamatio ejus super deducentem eas?* Eccî. 35. v. 18. non spernit viduarum preces Deus; sed aspicit, audit, miseretur ut pater; indignatur verò, vindicat, percutit adversarios ut iudex viduarum. descendunt quidem viduarum lachrymæ ex oculis in terram, at de terra in cœlum clamant & vindictam extorquent. Silet viduæ lingua, sed oculi loquuntur & grandia vocis pondera in aures divinæ justitiæ adversus oppres-

Marc. 12.  
v. 40.

pl. 22. v. 4.

fores iniquos emittunt. Pergit Sira-cides: *à maxilla enim ascendunt usque ad cœlum & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Sint lachrymæ poenitentium, vinum Angelorum; at lachrymæ viduarum sunt indignatio & furor Dei atque cœlestium geniorum; ad eò nò delectantur illis, ut gravissimè offendantur, indignentur & excadescant in eos, qui suâ injustitiâ eas eliciunt. Sunt hæ lachrymæ ut vapores, inquit Pineda in c. 4. Eccles. qui è terra excitati densantur in nubes, ignescunt in fulgura, cudentur in fulmina, grandescunt in grandines, solvuntur in pluvias; ita viduarum lachrymæ concrefcunt in nubes supplicii enormibus gravidas, quibus oppressores scelesti opprimantur. nihil æquè iram divinam inflammat, ignes cœlo provocat, incendia suppliciorum fuscitat, sicut lachrymæ viduarum.

Audivi aliquando sceleratorum ejusmodi persecutorum aliquem cum cachinno jactare: *viduæ spongiæ nostræ sunt*, quorum fortunas & opes à se scitè exprimi insinuabat; at heus immanis nebulo; tu! tu! spongia dæmonis es, de qua rursum exprimet, quidquid è viduarum fortunis extortum est. expressisti cochlearia argentea, anulos aureos, monilia gemmata; imò expressisti amaras lachrymas & magnam vitæ portionem, quæ lachrymæ in flumina flammata ad absorbendum te, in fulmina trifulca ad feriendum te, in romphæas ignitas ad diffecandum te convertentur.

Quàm tremenda sunt illa irati Numinis in oppressores viduarum non tam verba quàm fulmina: *incrassati sunt & impinguati & præterierunt sermones meos pessimè. causam viduæ non judicaverunt. causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non judicaverunt nunquid super his non visitabo dicit Dominus?*  
aut

S. 4.  
Minæ di-  
vinæ.

aut super gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? Jerem. 8. v. 28. & 29. v.æ incaffatis hifcè & impinguatis, de viduarum substantia, orci victimis & dæmonum spongijs, quàm durum eos judicium, quàm severum manet supplicium apud judicem viduarum. Agnovit docuitque divinus Plato l. 12. de legibus, viduarum causas proprias esse Dei; ac proinde neminem debere easdem affligere, nè Deum ultorem & hostem sentiat. Flagellatus est cœlitus impius ille Heliodorus, quòd ex Templi ærario viduarum bona diripere destinâisset 2. Mach. 3. quantis digni erunt flagris, imò scorpionibus, qui viduas expilant atque ad incitas redigunt, non minoris flagitij rei, quàm si templa & aras sacrilegè spoliâssent. Viduas enim *altare DEI*, divus Martyr Ignatius appellat, quòd in ijs per beneficentiæ hostias coli & placari amet Deus, irritetur verò gravissimè, si pro his aris non stemus, sed sacrilego scelere easdem impetamus & dirutum eamus. Et sicut defensores viduarum maximè propitium sperare habent Judicem, etsi multis alijs peccatis fordeant, juxta illud Evangelici vatis oraculum: *defendite viduam & venite & arguite me dicit dominus, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur* Is. 1. v. 17. & 18. ita viduarum oppressores, quantumvis nescio quibus alijs emicare videantur virtutibus, inter ethnicos nihilominus & atheos, tanquam religione immunda & virtutum omnium fundamento destituti in die novissimo numerabuntur. Nam teste

Jacob. 1. v. 27.

Jacobo Apostolo: *religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Nihil sibi omnes

Job. 31. v. 16.

virtutes profore Job agnoscit si oculos viduæ expectare fecisset.

Sufficiant ista Viduarum persecutoribus, ut sua ab injustitia atq; impietate desinant, nec ultra Deum viduarum judicem irritent; nunc & de viduis ipsis breviter aliquid dicamus: sunt enim nonnullæ solo viduæ nomine, virtutibus verò viduitatem sanctam decentibus omnino viduatæ, quas Apostolus discernit 1. Tim. 5. v. 3. 5. 6. II. *viduas honora, quæ verè viduæ sunt, quæ verè vidua est & desolata speret in Deum. quæ in delicijs est, vivens mortua est.* vivens non vivit, sed in vivo corpore mortuam circumfert animam, quæ luxui indulget. quid juvat picturatis abstinere vestibus & animum quibuslibet pascere vanitatibus? quid juvat lectû ostendere in corpore, luxum fovere in corde? quid juvat frigidam super mortuo marito effundere lachrymas, infundere verò pretiosa vina, in quibus est luxuria sub specioso illo lenocinio: *date scieram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* prov. 31. v. 6. Juditham viduarum sine macula, speculum & virtutum omnium idæam proponit D. Ambrosius l. de viduis audacter asserens, si vinum bibisset; ex inculpata vidua in fœdissimam mœcham fuisse pervertendam: *advertitis quantum nocere possit mulieribus ebrietas, quando viros vina sic solvunt; ut vincantur à feminis: Eslo igitur vidua temperans: casta primum à vino, ut casta possis esse ab adulterio. Nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent.* Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero. Hæc Ambrosius. nihil sub sole turpius vinosâ viduâ. *contumelia & turpitudine ejus non tegetur.* Eccl. 26. unam de filiabus Belial meritò vinosam appellavit pijssima Samuelis Mater Anna, est enim absque jugo pudoris & lege honestatis. Vinosam, ut adulteram, teste Gellio l. 10. c. 23. puniebant Romani, quia, E 2 ut

§. 5.  
Vidua  
vinolenti-  
am caveat

S. Chryso-  
stomus ho-  
mil. 16. in  
Matth. &  
Serm. 71. ad  
pop.  
S. Hiero.  
ad Eustoch

ut Valerius Maximus loquitur l. 2. c. 1. *proximus à Libero Patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem, esse consuevit.* vivens mortua est, quæ vino & ebrietati addicta est, idemque cum Zenone meretur sepulchrum. *Quid ebria turpius muliere, ingeminat Orator Antiochenus, quanto namque vas est imbecillius, tanto majus est naufragium.* Temulentiam earum *sacrilegium* vocat Hieronymus, & vinum tanquam venenum molliori sexui monet cavendum: *si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi (idem dic de vidua) vinum fugiat pro veneno.* Nec vino tantum, sed & carnibus, abstinere vult viduas purpuratus Dalmata scribens ad Salvinam viduam: *comedant carnes, quæ carni serviunt, quæ maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam.* Tu verò, *quæ in tumultu mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio.* Jejunium inculpatas reddit viduas, ut Juditham; formosas, ut Noëmi; dilectas Deo hominibusque, ut Annam prophetissam.

§. 6.  
Orationi  
intendat.

Jejunio jungatur oratio; quam in viduis efficaciorē esse dixerim, atque in quovis alio hominum genere ex illa Salvatoris nostri parabola Luc. 18. à v. 3. de vidua, quæ iniquissimum judicem, Dei hominumque contemptorē permovere continuâ suâ interpellatione potuit ad causam audiendam, sententiâque ex voto viduæ ferendam. Cur viduam supplicem Salvator potius inducit, quam Virginem, quam conjugem? scio respondere Augustinum, quia Ecclesiam repræsentat, quæ desolata videtur, donec Christus ejus Sponsus è cælo redeat ad iudicium; nec ignoro per viduam à Theophylacto accipi pœnitentem

S. Aug. l. 2.  
99. Evan-  
gelic.

animam, quæ virum pristinum, id est diabolum, exclusit, ob hoc ei adversantem, quòd ad Deum accedat; sed præplacet aliorum opinio, viduam præ virgine ideo assumptam fuisse, quia viduæ deprecatio, eò quòd à desolata & humili procedat, orationibus aliorum longè est efficacior. Oratio viduæ sub viduitatis facta nomine: *heu mulier vidua ego sum*, Davidem ita flexit, ut parricidam filium in pristinos reciperet amores. interpellatio viduæ Trajanum Imperatorem alloquentis: *aut jus dicito, aut Imperator esse desinito*, ita permovit, ut negotiis omnibus amotis jus viduæ diceret. Ad suppetias cœlestes certissimò impetrandas, præsentique vitæ & fortunarum discrimine hebræum populum liberandum, viduæ titulum Juditha interposuit: *subveni Deus meus mihi vidua!* c. 9. v. 3. proh quàm potens est viduarum oratio. *Ora ergo*, monet viduam, Probam nomine S. Augustinus ep. 121. *ora ergo ut vidua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora.* Nondum enim *veras futuri seculi divitias habes, ubi nulla damna formides.* Licet habeas *filios & nepotes, numerosamque familiam, sicut desolata ora: incerta enim sunt omnia temporalia etiam usque in finem vitæ hujus in nostram consolationem mansura.* Consolatio viduæ & vita est oratio, sinè qua vivens mortua est.

2. Reg. 14.  
v. 5.

Ut porro crebrius ferventiùsque oret, solitudinem amare & frequentiam hominum fugere necesse est: *noli in publicum subinde procedere*, monet Furiam viduam Hieronymus, *quid facit vidua inter familie multitudinem, inter ministrorum greges?* impudicitia suspectam se reddit, quæ in omnibus urbis plateis & angulis, quasi venalem circum-

§. 7.  
Solitudinem amet.

S. Hieron.  
ep. 96.

cumferret pudorem, spectandam se præbet: *castitas similitudinem querit*, verba S. Ambrosii l. de viduis, *pubica secretum, impudica conventum*. Prima laus viduarum Paulæ Romanæ, Blesillæ, Melaniæ, Marcellæ apud Hieronymum, Olympiæ nobilissimæ viduæ apud Chrysostomum, Gallæ Symmachi filia apud Gregorium Magnum solitudinem amavisse. Nimirum vidua ut liliū sit, spinas amet solitudinis: *sicut liliū inter spinas*; ut turtur sit, gemat solitaria, ut canant de ea Angeli: vox turturis audita est in terra nostra. quænam illa angelorum terra? nî fallor desertum est, ubi Christo ministrant Angeli, occinuntque illud: ô beata solitudo! ô sola bea-

titudo! ut vidua gemma & thesaurus sit, abscondi amet; thesauro enim abscondito viduitatem assimilari, in eo audimus Evangelio, quod de Sanctis viduis legi solet. Deniq; ut verè vidua sit, Annam hodiernam imitetur, de qua brevibus multa S. Ambrosius cit. *cujus diversorium erat in templo* (quidni in templo; cum viduam altare Dei dixerim ex Ignatio) colloquium in prece, vita in jejunio. Ità vivant viduæ, colloquantur, diversentur, & erunt omnes Annæ coram Deo, hominibusque gratiosæ.



## PHILIPPICA VII.

In Immorigeras proles  
DOMINICA  
POST EPIPHANIAM.

*Erat subditus illis, LUC. 2. V. 51.*

S. I.  
Formam  
obediëntiæ  
ex se Chri-  
stus dat.



Ræclarè personas suas in scena Evangelica obière Mater & Filius, IESUS & MARIA. Mater paucorum semper verborum ( quia unus Mater Verbi ) primas sibi dicendi partes præ Josepho sumpsit, quia præ hoc plus juris in Filium habuit, & plus dilexit, ideòq; de Dilecti absentia plus indoluit, *Fili quid fecisti nobis sic?* Vox hæc turturis est, & gemendo increpat, & gemit increpando: *quid fecisti nobis sic?* quasi dicat, prout exponit Timotheus pres-

byter: cur interrogas, & doces, qui nondum litteras didicisti? cur pro sapientiæ Doctore te geris? cur invidiam adversus te concitas? cur me unigenito meo orbare vis? ecce ardentibus oculis te undique aspiciunt, jam dentibus suis strident, tanquam veræ bestia, quæ adversus Agnum tenerum moventur, Hucusque Timotheus. Bene ergo maternū Virgo munus obivit. Sed et Filius partes omnes, & numeros, cum pietatis Deo debitæ, tum obediëntiæ parentibus præstandæ implevit, quando maternis verbis

rat. de oc-  
cursu Do-  
mini.

E 3

mo-

Biblioth.  
Pp. tom. 4.  
in fine O.